



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...**

**Gretser, Jacob**

**[München], 1613**

Jtem Epistola as Domnum Carolvm Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de territorio Sauinense, qualiter Machinarius fideiſſimus eiusdem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item Epistola ad Dominum Carolum Regem  
directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione  
sanctae Dei Ecclesiae, & de territorio Sauinense, qualiter Ma-  
chinarius fidelissimus eiusdem praecelsi regis, ipsum territori-  
um cum integritate partibus sancti Petri cōtradere vo-  
luit. Sed propter iniquos atq; peruersos homi-  
nes minimè potuit.*

## LXXVIII.

*Summ. II.  
Bar. &  
Cens.*

**D**OMNO excellentissimo filio, nostroq; spiri-  
tali Compatri Carolo, Regi Francorum, &  
Langobardorum, atque patricio Romano-  
rum Adrianus Papa. Diuinitus praedeterminatam vestram  
à Deo protectam summam regalem potentiam pro-  
cul dubio credimus, quia super pristinos omnes ac fi-  
delissimos orthodoxosq; Reges atq; Imperatores, er-  
ga sanctam Catholicam & Apostolicam spiritalem ma-  
trem vestram, Romanam Ecclesiam, veram dilectio-  
nem habentes innumerabilia bona per vestra labo-  
riosa certamina cotidie offertis, & pro hoc nempe  
certi facti estote, quia quantum, caput totius mundi,  
eandem sanctam Ecclesiam, eiusq; rectorem, simulq;  
pontificem amplectendo seu fouendo, honorabiliter  
que glorificando diligitis, tantum vos B. Petrus, Apo-  
stolorum princeps, inconcussos facit triumphos hic  
& in futuro victores, super omnes regnare Reges;  
prorsus quippe confidimus, quia quantum per vos  
sancta Catholica & Apostolica spiritalis mater vestra,  
Romana Ecclesia, exaltata triumphat, tantum coeleste  
vos ambire atque haereditare, per intercessionem  
Apostolorum principis, concedit in perpetuum re-  
gnum.

Venien-



Veniente igitur hic apud nos fidelissimo Maginario, denuncians nobis vestre sospitates regalis potencie, nimis pro hoc nuntio noster releuatus est animus. Repleti sumus omni letitia, & exultatione. Qualiter vero ei precepit vestra à Deo promotam triumphatissimam excellentiam pro Sauinensi territorio, vt nobis sub integritate contraderet, sicut B. Petro, clauigero regni celorum, tribuistis; minimè propter malignos ac peruersos homines potuit, totam enim iustitiam, quam beatus Petrus Apostolus, protector noster, ex ipso territorio habet, presentaliter, iam factus Maginarius, Missus vester, vidit, tam per donationes imperiales, quam per ipsorum proceruorum regum Langobardorum ipsum territorium cum mansis sibi pertinentibus, enucleatius designantes. Si verò perfidus Desiderius dudum Rex, non sub integritate, sed tantummodo

\* masas nobis, quantum reperiri potuit, quas ex antiquis sancta Romana Ecclesia tenuit, vt nullus ex illis partibus Langobardorum ausus est resistere; quanto magis vestre à Deo ptecte regali potencie in omnib<sup>9</sup> obediētes existentes iussa vestra adimplere debuerant.

\* masas.  
Sed rectum  
videtur,  
Massas,  
quo vocabulo  
etiam Anan-  
stasius Bi-  
bliotheca-  
rius.

Nos quidè neq; Imperatoribus neq; regibus gratias agimus, nisi tantummodo vestre triumphatissime excellentie, quia nouiter eū B. Petro Apostolorū principi, sub integritate cōdonastis, pro hoc enim fidelissimos Missos nostros, vna cū monitionibus nostris, ap̄to tēpore, vestre regali potencie dirigimus, vt liquida perscrutatione, diuinitus inspiratus, eas indagans, iustitia B. Petro Apostolo eueniant ad effectum, vt præcellsum à Deo promotum regale vestrum culmen, atque memoria vestra in Ecclesia beati Petri, nutritoris<sup>9</sup> vestri, vsque in finem sæculi inter sanctos nominetur.

Sed



Sed sicut semper in eius sacratissima aula orantes pro vobis persistimus. Omnipotens, clemens, & misericors DEVS, in cuius manu, cor excellentiæ vestræ regitur, vna cum excellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, seu Domno Pippino, excellentissimo Rege Langobardorum, & proprio spiritali filio nostro, cæteraque vestra nobilissima prole, corroboret cor & mentem vestram & brachium suæ potentia vobis extendat, vt victores vos super omnes barbaras nationes faciat. Quatenus omnes sub vestro brachio humiliati vestigia pedum vestrorum osculentur, vt amplius Ecclesia Dei per vestram à Deo institutam regalem potentiam, \* nimirum exaltata permaneat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papa, ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de Abbate venerabilis Monasterij S. Vincentij, qui apud Domnum Regem insons accusatus fuerat; & inde ablatas; vt eum venusto vultu, ac vibrantissimo animo, clementissime susciperet, quia falsa crimina ei obiiciebantur.*

## LXXIX.

Summ. 10.  
Bar. 6.  
Cent.



OMNO excellentissimo filio, nostroq; spiritali Compatri Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum. Adrianus Papa. Dum tanto ex puro cordis amore omnes generaliter agnoscunt, quod erga beatum Apostolorum principem Petrum, fautoremque vestrum, & nos, crebro fideliter vestra regalis potentia prorsus gerit, conuenit nempè ex totis nostris præcordiis,